

K.  
35,  
18.

II m  
912

DECANI FACULTATIS MEDICÆ  
**GEORGII VVOLFFGANGI  
VVEDELII,**

Med. Doct̄oris, Theoretices Professoris  
Ordinarii, Consilarii & Archiatri Du-  
calis Saxonici,

**PROPEMPTICON INAUGURALE**

*De*

**NUMMIS CADUCEATIS.**

*J E N Æ*  
LITERIS KREBSIANIS.  
Anno M DC XCII.





**N**ter alia antiquitatis monumenta duo cum primis numeranda, nummi & literæ, & illi quidem longè magis, quod restituti licet non pauci, fucati etiam quidam & eclypi potius, plurimi tamen genuini, aurei, argentei, ænei, varii moduli, germani testes ævi pristini, & historici velut vivi omnium seculorum.

Ex his præ aliis seligemus in præsentiarum caduceatos, si ita loqui fas est, seu caractere caducei, aut, ut frequentius hodiè id signum vocamus, mercurii, insignitos. Occurrunt tales haud infrequentes, & inter hieroglyphicos præcipui, in nummis Imp. & aliis, modò uno solo hoc notati, a versâ facie potissimum, ut in nummo Tiberii, quandoque & ipsi iconi adpositâ hâc notâ, uti in nummo familiæ Mamillorum id ostendere possumus; frequentius verò cum aliis.

Instar omnium est nummus Julii Cæsaris, æneus, majoris moduli, capite laureato, cum inscriptione; C. CÆSAR DICT. PERPETUO; cui in alio diademati lituus, signum pontificatus, jungitur. Aversâ parte caduceus, fasces, (decussatim cum caduceo se interfecantes,) superius globus cum jugo, inferius duæ manus sibi junctæ & securis reperiuntur; addito nomine, in aliis LEUCA, qualem & nos habemus, & seorsim *Scanda*, in Serie Numismatum Imp. MSS. pretioso, depictum exhibet, in aliis rectius L. BUCA, quod nomen est triumviri.

Et pictura quidem ipsa  $\xi$ ii, seu superiorem spectemus regionem, seu inferiorem, non uniusmodi occurrit. Videas enim, ubi linea transversa in baculo crucem efformans non adest planè, ut in nummis Gordiani junioris, & laudato Mamiliano; In aliquibus loco lineæ hujus alæ exprimuntur, ut in Julii Cæsaris illo, & Tiberiano, ad denotandam velocitatem. In aliis, quod hodiènum obtinet ordinariè, crux ista clarius emicat, ut in Claudii, Vespasiani & aliorum nummis. Interdum longius caduceum, interdum brevius apparet.

Non minor differentia circa superius clima occurrit, quod ordinariè ex circulo & semicirculo eidem velut imposito, & fursum aperto, deorsum clauso, constat. Sunt verò, qui  $\acute{\omicron}\phi\epsilon\iota\varsigma\ \kappa\alpha\tau\alpha\ \gamma\lambda\omega\tau\eta\zeta\omicron\nu\tau\alpha\varsigma\ \eta\gamma\alpha\ \epsilon\mu\pi\epsilon\pi\lambda\epsilon\gamma\mu\acute{\epsilon}\nu\epsilon\varsigma$ , serpentes oribus sibi respondentibus & implexos sibi concipiunt, qui virgæ partem alteram componant. Et hæc quidem hypothesis est communissima; ast, si veterum illa monumenta in nummis spectemus, nec animus sic præoccupatus, plerique & tantum non omnes abnuunt, nec serpentis ori, nedum caudæ quid simile offerunt. Unus Antonini Pii nummus COS. III. cusus caduceum habet utrinque



que spicâ comitatum, utraq̃ue inter duas manus, ubi diductior paulo & velut geminus circulus, superiori hæmisphærioclauso quoque, tale quid dici posset exhibere, nec illud tamen certò, quin commissuram potius circuli monstret.

Quicquid tamen horum sit, negari non potest, si non semper expressum, conceptum tamen & explicatum hoc simulachro *Serpentem, baculum qui nexibus ambit*, à compluribus, eumque geminum assignatum virgæ divinæ, medicæ, somniferæ, ut Poetis audit, Mercurii. Testimonium luculentum est *Plinii l. 29. Nat. Hist. c. 3. Complexus, inquit, anguium & efferatorum concordia causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdatâ effigie anguium fecerunt.* Eo ipso quoque clarè satis aperit, altius & aliunde quam à Romanis repetendam esse universam hanc originem, mercurii æquè ac caducei, quo insignitur.

In arcana enim hæc inquirentibus indubium est, ab Ægyptiis ut aliorum, ita etiam hujus originem esse petendam, unde passim etiam apud antiquos celebratur Hermes Ægyptius seorsim, & *Ἑρμῆς* *ἑρ* *ter maximus* audit, stupendo titulo, adeoque conformi ipsis secretis, quorum vel autor vel significator fuit.

Duo sanè videntur ad designandum mercurii characterem concurrere, ut duplici pictum asseruimus modo. Quid enim convenientius statui possit, nostrâ quidem opinione, quam hypothèsin illam de anguibus baculo innexis ortum traxisse ex fastis Mosaicis? Moses à Deo O.M. miraculosè missus ad populum Judaicum signum missionis divinæ *וַיִּקַּח* indeptus, *ῥάβδον*, *virgam, baculum*, qui projectus in anguem mutabatur, *Exod. 4. v. 2. f.* Non absolum imò maximè rei congruum videtur, ethnicos, ipsosve adeò Ægyptios, inde mutuatos suam fabulam, & *κῆρυξ ἀθανάτων*, *præconem Deorum*, cum ejusmodi signaculo finxisse Mercurium.

Ast præter hanc serpentum in caduceo notionem, nil obstat, quo minus & aliâ specie eundem formatum putemus, uti ipsa icon id ostendit quoque. Confirmat id chimia, ab Ægyptiis vel inventa, vel exulta apprimè, quæ talia hieroglyphica signa, chimica hinc dicta, quod quidem cum Astrologiâ habet commune, in hunc usque diem facta tecta servat. Atque perinde est, utrum sulphuri ( $\Delta$ ) alas appositas in signo  $\zeta$ ii reputemus, quod elasticitatem ejusdem, & quod in sphæram mercurii, per ignem v g., promptè abeat, innuit, uti etiam in elementis ipsis signatis, igne, cujus nota est trigonus, ( $\Delta$ ) & aere, qui trigono alato ( $\nabla$ ), si huic crucem fixitatis signum supponas, repræsentatur, idem valet & satis evidens est; an antimonium ( $\text{♁}$ ) mobile, elasticum, volatile redditum, ac in mercurii naturam mutatum, sicque inversum, inde, ut ex ungue leonem, colligamus.



4.

Ut itaque clarius paulo emicent, quæ mercurii titulo fuerint expressa, consultum putaverim notare, quod in fabulis falsa quidem & ficta occurrant, sub horum verò cortice verum & sapiens acutum aliquid contineatur, idque quam maximè etiam circa mercurii hæc tabulas occurrat. Cumque fontes confulere nequeamus primos, optimum fuerit secundos lustrare, & sacrorum ethnicorum magis peritos, unde illustrari reliqua omnia magis possunt.

Instar omnium sit Romani eloqui princeps & his sacris imbutus *Tullius*, ex cujus libris *de nat. Deorum* pauca in præsentem usum excerpere liceat. In genere enim concedit infinitam esse circa hæc rationem superstitionis; sidera, solem & lunam, & vagas stellas Deos esse habitos; Physicam rationem non in- elegantem inclusam esse in impias fabulas; nec novum esse interpretari, quorum quidque pertineat. *Speciatim verò l. 3. c. 22. p. 173 edit. Gruter.* quinque recenset Mercurios. Mercurius, ait, unus cælo patre, die matre natus: alter *Valentis & Phoronidis filius, is, qui sub terris habetur*: tertius *Jove tertio natus & Majâ*: quartus *Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare*: quintus, qui *Argum dicitur interemisse, ob eamque causam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges & literas tradidisse.*

Hæc si applicemus ad ea ipsa, quæ hodiernum in usu sunt ac obtinent locum, quintuplex sanè hæc est, à *Cicerone* prodita, mercurii acceptio genuina. Primus nobis sit, applicatus jam dictis, *cælestis*, astrum è vagis illis, seu Planetis, non ignobile, Solis velut quidam *Achates*, nec longius ab eo abscedens. Alter *mineralis*, Mercurius in officinis reperiendus, crudus & variè præparatus, aliàs argenti vivi, ac hydrargyri nomine veniens, è mineris erutus subterraneis. Tertius principium *chimicorum* tertium signet, elasticum, aereum, æthereum, spirituosum, volatile. Quartus est *Philosophorum*, per ignem putæ, pro maximo habitus arcano, ad tincturam universalem seu Lapidem Philosophorum benedictum, quem hodiernum nefas habent nominare adepti. Quintum nominare liceat *moralem*, seu effecta, vel notata potius cælestis illius, latiori quodam ambitu & quorum velut præses quidam statuitur, nominatim ab *Astrologis*. Sic præses est religionis, literaturæ, ingeniorum, sermonis, facundiæ, studiorum, persuasionis, commerciorum, inventionum, artium & scientiarum, somniorum ipsorum, quin & suo modo insidiarum, calliditatis, &c.

Fallor? An hoc ipso mentem & rationem humanam adumbrare voluere sapientes: quod si demus, omnia examussim clarent & sibi subordinantur. Quis enim interpres & præco Dei O. M. melior fuerit, quàm in sinu quem gerimus? Est una hæc res communicata cum Diis, dicente *Galeno* & aliis. Quid mentis agilius & mobilius? Quid magis varians hæc ipsâ, & in bonam flexile & in malam



iam descedens facile partem, ad virtutes & vitia pronum? Quid magis acutum, magis docile, sapientiae omnis sacrarium & pararium?

Elegantissima hanc in rem est oratio *Pergameni suavioria ad artes in Isagog.* quae tota meretur non tam huc referri ob prolixitatem, quam laudari, legi & perpendi. Summa huc redit, quod duas classes hominum facit, ipsius fortunae atque Mercurii effigie jam olim signatas. Illius sequacem coetum desidem, nec consilio utentem nec ratione, sed abutentem potius, nec ullis artibus eruditum; hujus verò artium peritos, modestos, & culturae mentis variae deditos. Id verò emollit mores, nec finit esse feros. Tres quoque choros mercurialium virorum, ut loquitur *Flaccus*, custodi suo certis sedibus & gradibus junctos recenset, geometras, arithmeticos, astronomos, philosophos, medicos: pictores, plastas, sculptores, fabros, architectos: & ceteros artifices. Addit: Socratem, Platonem, Homerum, Hippocratem aliosque esse quasi alteros mercurios, quos, ait, nos aequè ac Deos colimus & veneramur. Quorsum & illud referri potest, ceu lemma inde erutum ac demonstratum: sapiens supra fortunam, quo de latius ipse locus visendus.

Et hoc quoque sensu caducei mythologia explicatur magis, non tantum ut signum pacis, sed & hinc ab antiquis signum hoc christi gymnasiis apponebatur, & hodiernum in Iconibus Academicorum Oxoniensium virgifer habetur, magistratum antecedens. Hinc seorsim Hygeia & Aesculapio quoque tribuitur, eoque innuitur, quantum praereliquis cultura ingenii, acumen & prudentia competat medicis.

Ut igitur ad nummos caduceatos revertamur, quid aliud mercuriali hoc caractere denotari putemus, quam signum pacis, concordiae, religionis, pietatis, floris reipublicae, literarum, commerciorum, elementiae, moderationis, felicitatis temporum, quae speciatim in nummo Hadriani, Gordiani jun. &c. figurata stante, felicitatis scilicet, dextram caduceum, sinistram cornu copiae tenente, cum his ipsis duobus verbis exprimitur? Variant enim haec, prout vel solus extat averfae v.g. parti insculptus, ut in dicto Tiberii nummo, qui Mathematicos remanere in urbe sivit; vel cum aliis junctus visitur. Confirmant id varii nummi ipsam additam inscriptionem, ut PIETAS AVGG. in Decii, MERCURIO PACIFERO, in Postumi nummis, ut alia taceamus, quae angustia paginae aliorum differre jubet.

Sic, ut usum quendam connectamus explicationi, si homagium praestandum sit Regi vel Principi, optimam suggerunt dicendi materiam hi nummi, praecipue Julii Caesaris laudatus. Globus enim cum iugo subditos notet, Mercurius religionem, pacem, artes, commercia, prudentiam, per dicta, fasces magistratum, ejusque majestatem, utraque centraliter juncta: Securis tum imperium,



rium, uti *Cæsari* ipsi pro eodem sumitur, tum maximè justitiã; nexus manuum concordiam & pietatem mutuam, fœdus & fidem, quæ faciliè illustrari possunt longius. Sic inter alios nummus Albinus Bruti F. capiti fœmineo complicatis crinibus adscriptam habet pietatis vocem, alterâ facie duas itidem sibi junctas manus, cum signo  $\xi$ ii in medio. Applicari id potest & doctrinæ artis medicæ. Medicos maximè decet pietas, vel ethnico *Hippocrate* asserente l. de dec. ornat. Quibuscum ergò artis arcana communicantur, quibus patefiunt, interest, ut fide datâ se obstringant, obstringant se pietati, obstringant silentio & artis augmento, & sic quoque potiantur condignis honoribus, astra inferendi.

Quod verò in recentioribus quoque nummis mercurii signum reperitur, ut in quibusdam aureis Divi Gustavi Adolphi, Suecorum Regis gloriosissimi, etiam post mortem ejusdem cufis, in inclutæ item civitatis Erfordiæ aliquibus, majoris & minoris moduli, cum signo  $\Delta$ is unâ, in argenteis binariis Lud. Gustav. Com. ab Hohenlo, non putandum est æquè, notari cufos ex auro vel argento arte chemicâ ex metallo ignobiliore transmutatis, quod sanè, si nullum daretur aliud, artis argumentum debilius fuerit, pro lubitû monetarii vel alius effectis talibus notis.

Hæc ut præfaremur, occasionem dedit Disputatio Inauguralis de EPULIDE & PARULIDE, quam solenniter ad D. XXII. Martii habebit, inter  $\iota\mu\alpha\rho\chi\sigma\varsigma$ , ut vocabat *Galenus*, Mercurii omni merito numerandus, Medicinæ Candidatus Clarissimus

## GEORGIUS FRIDERICUS FRANCUS.

Natus is est Argentorati totius Alsatia Metropoli An. R. S. clo lbc LXIX. D. XXII. Augusti, Patre Medico & Polyhistore illustri, GEORGIO FRANCO, aliquot S. R. I. Electorum & Principum Consiliario, Archiatro, & in almâ Vitebergensi Academiâ Professore celeberrimo, hodiè Rectore Magnifico, nostro ut à studiorum contubernio, ita & affectu oculissimo, amicorum primo: Matre MARIA EUPHROSYNA, natâ ex Illustri CHEMNITORUM de Stromberg familiâ. Horum ductu à teneris pietati ac studiis artium liberalibus animum, ad hæc natum, applicuit, tum domesticâ, quousque adolescerent magis profectus, tum in Gymnasio Heidelbergensi, sufficienti informatione imbutus.

Instructus genuinis fundamentis A. C. M DC LXXXV. ad  $\alpha\mu\phi\theta\delta\sigma\epsilon\iota\varsigma$  Academicas ibidem admissus, ante, quàm sacra Apollinis, seu patriæ potius, arti penitus initiaretur, Philosophicis studiis ulteriorem operam navavit, usus in utrisque Excellentissimorum & insignissimorum Professorum, Parentis verò optimi cum primis, manu ductione dexterrimâ, D. JOH à LEU- NESCHLOS Phil. & Med. D. ac Univerfit. Senioris venerandi, in Logicis ceterisque



que Philos. partibus D. JOH. LAUR. CROLLII, in Historicis & Jure publ. HENR. GUNTHERI THÜLEMARII. Memor etiam propositi sui, ad haurienda artis Medicæ fundamenta, quæ à teneris jam amaverat, animum seriò applicans Anatomicis administrationibus, quoties occasio se obtulit, interfuit, & excursionibus Botanicis, seorsim secutus D. JOH. CONR. BRUNNERUM, tam in publicis, quam privatis sectionibus, maximo cum fructu, non minus ac in Nosocomio; ac jam tum, eodem Præside, A. C. M DC LXXXVII. mense Februario publicâ disputatione De GLANDULIS INTESTINI DUODENI, summâ cum laude habitâ, inclaruit; uti & D. JOH. MATTHIAM LUCAM, hodiè Potentissimæ Reginæ Portugalliæ Medicum primarium, audivit.

Varias porrò cum honoratissimo Parente adiit aulas, quas Academiam universalem appellare solemus, Electoralem Trevirensis, Badâ-Durlacensem, Würtembergicam, Elyacensem, Saxo-Isnacensem, Aichstadiensem, Electoralem Neoburgicam, ac præcipuè post publicam calamitatem Magni Magistri Ord. Equestr. Teuton. subinde maximorum Principum clementiâ fruitus. Hinc per annum in inclutâ Noricâ Academiâ ulteriorem studiis suis sceneravit accessionem, eoque nomine deprædicat D. MAURITIUM HOFFMANNUM, D. JACOB. PANCR. BRUNONEM, & D. JOHANNEM MAURITIUM HOFFMANNUM, quo Præside Dissertationem de PERICARDIO, doctissimè à se conscriptam, publici Juris fecit Ann. M DC XC. Mense Febr. & in Physicâ præcipuè experimentali JOH. CHRISTOPH. STURMIUM, tam in publicis quam privatis Lectionibus.

Inde à Parente advocatus in illustrem Vitebergam ibidem studiorum suorum cursum continuavit, ex uberrimo omnis sapientiæ paterno fonte, & D. JOH. GOTTFREDI BERGERI fidelissimâ informatione, donec eodem anno, clementissimo jussu Maximi Herois, Divi JOHANNIS GEORGII III. Electoris Saxonix, cum D. JOH. ERN. MORGENSTERNIO ac Parente colendissimo, castra secutus ad Rhenum & Helvetiam usque, subinde vices apud infirmos gereret medentis, quamvis & ipse tantum non lethaliter decubuerit.

Ante annum hunc Belgium adiit, & in famigeratissimo Lugdunensi Lyceo audivit Carol. Drelincurtium, Paulum Hermannum, Anton. Nuckium, ut & Burcher. de Volder, & Wolferdum Sengverdium. Inde in Angliam transfretavit, ac Londinum, Oxonium, Hamptincurtum, Windsorium & alias urbes visit, præcipuè verò Rob. Boyle, Gualth. Charletonem, Job. Brownæ, Nehem. Grew, Frider. Slaër, Listerum, Hugonem Chamberlain, Robert. Hoockium, Flamstiett atque Staphorstium, Burnettum, Charletonem IC., Wallisium aliosque coluit. Redux in Belgium, Brabantiam Flandriamque iustravit, ubivis locorum ex celeberrimorum litteratorum commercio ad se derivans usum. Sic, ut potiores quosdam laudemus, Ant-



AK Tom 9/2

Antvverpiæ laboriosum Papebrochium è Soc. Jes., Lovanii D. Job. Sommers, Roterodami Bailium, Schultzius, Delphis Leewenboeckium, Trajecti ad Rhenum Job. Georg. Grævium, D. Vallant, D. Münnicks, Arnhemii D. Job. de Muys adiit, sicque patrios lares revisit incolumis.

Tacemus alia quoque celeberrima nomina, quæ datâ occasione veneratus est, Argentorati Bæclerum, Reicheltum, Brisaci Lunguitium, Scaphusii Wepferos, Peyerum, Stuttgartiæ Reiselius, Heidelbergæ Fabritium, Miegium, Textorem, Coecejum, Francofurti ad Mœnum Horstios, Witzelium, Schefferum, Waldschmidium, Giessæ Heilandum & Valentinum, Marpurgi Waldschmidium, Cassellis Dolaum, Huxboltium, Moguntia Vossium, Hægelium, Confluentiæ Furstium, Vormatiæ Melchiores, Spira Widtium, Erbenium, Heilbronnæ Fabrum, Mylium, Durlaci Klofium, Scherpsium, Herbipoli Virdungos, Norimbergæ Volckameros, Fabritium, Mercklinum, Wurffbainium, Bschererum, Lochnerum, Augustæ Vindelico. Schröckios, Riedlinum, Neoburgi ad Danubium Schweitzerum, Coburgi Frommannum, Erfordia Vesti, Isnaci Paullinum, Calenum, Lipsiæ Bobnium, Rivinum, Langium, Wolfsum, Vitembergæ Sennertum, Sperlingium, Dresdæ Birnbaumium, Lehmannum, Erndelium, Troppanigrum, Chemnitii Garmannum, Serevestæ Scheubanum, Hamburgi Kerckringium, Otton. de Guericke, Mayerum, Biesterum, Langium ac Schultzius, Bremæ Schwelingium, Gröningæ Braunium & Lammers, Franconeræ Huberum & Rbenferdium, Amstelodani Ruyschium, Ouvercamp, Blancardum, Bernaggie, Helvetium. Petr. Francium, Cyprianum & Tert. Martianiden Chirurgo, Colerum Theol. Harlemi Ammannum, Hagæ Bidloo, Eutbium, Helvetium sen. Lugduni Bat. Vitriarium, Deckers, le Mort, Seidlerum, Job. Broen. &c.

Omnigeno itaque apparatu mentis abundè instructus, & quæ ad medicum requiruntur, & omnem medici elegantiam, ad nostram Salanam accessit, tum proprio, tum in primis patrio affectu inductus, ad capeffenda studiorum præmia, quæ dignissimè promeritus est. Exposito modestè desiderio Facultati se stitit æquè ac omnibus bonis genuinum paternarum virtutum ac eruditionis exemplar, spem de se conceptam examussim adæquans, & majorem in publicum omninò spondens.

Quare ut solennem illam panegyrim Disputationis Inauguralis Magnificus Academiae Rector, Proceres, & Hospites omnium ordinum honoratissimi, suâ honorificâ præsentia illustriorem reddere dignentur, per humaniter & officiosè invito ac oro! P. P. Sub Sigillo Facultatis, Jenæ


M DC XCII, D. XX. Martii,

Wm

M 15







**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

2.  
N. 7.

tis monumenta duo cum primis  
& literæ, & illi quidem longè magis,  
pauci, fucati etiam quidam & ætymi po-  
uini, aurei, argentei, ænei, varii moduli,  
ni, & historici velut vivi omnium seculo-

sentiarum caduceatos, si ita loqui fas est,  
entius hodiè id signum vocamus, mercurii,  
frequentes, & inter hieroglyphicos præci-  
uno solo hoc notati, aversâ facie potissi-  
oque & ipsi iconi adpositâ hâc notâ, uti in  
dere possumus; frequentius verò cum aliis.  
alii Cæsaris, æneus, majoris moduli, capite  
AR DICT. PERPETUO; cui in alio dia-  
ungitur. Aversâ parte caduceus, fasces,  
cantes,) superius globus cum jugo, inferius  
periuntur; addito nomine, in aliis LEU-  
orim *Strada*, in Serie Numismatum Impp.  
aliis rectius L. BUCA, quod nomen est tri-

superiorem spectemus regionem, seu infe-  
Videas enim, ubi linea transversa in ba-  
lanè, ut in nummis Gordiani junioris, &  
co lineæ hujus alæ exprimuntur, ut in Ju-  
andam velocitatem. In aliis, quod hodie-  
us emicat, ut in Claudii, Vespasiani & alio-  
duceum, interdum brevius apparet.

uperius clima occurrit, quod ordinariè ex  
nposito, & fursum aperto, deorsum clauso,  
*γλωτίζοντας καὶ ἐμπέπλεγμένους, serpentes*  
bi concipiunt, qui virgæ partem alteram  
thesis est communissima; ast, si veterum  
s, nec animus sit præoccupatus, plerique  
serpentis ori, nedum caudæ quid simile of-  
is COS. III. cusus caduceum habet utrin-  
que

